



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iosephi Mariae Svaresii, Episcopi Vasionensis, Praenestes
Antiqvae Libri Dvo**

Suarès, Joseph Marie

Romae, 1655

De Nomine Pr[a]enestes. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-11894

De Nomine Præneste:

CAPVT III.



VOD attinet ad Prænestes nomen, olim
Præneste altum, & *Præneste sub ipsa*,
 Virgilius cecinit: utrobique Servius, qua
 neutrum, qua foemininum esse adiungit. & sic Priscia-
 nus: dicebatur enim & hoc Præneste, & hæc Præne-
 stis. *Præneste sub ipsa* apud Virgilium figura Synthesis
 videtur Aldo seniori, quæ discordat cum voce, cum-
 que suo concordat significatu: ita Camerino sub ipsa
 scilicet ciuitate: sic dicitur Liliium est albisimus flo-
 rum. Græcis δ̄ Πραίνεσος enuntiabatur, seu Πραίνεσός
 Suidæ: at Ptolemæo τὸ Πραίνεσον. quin Ergasitus pa-
 rasitus apud Plautum iurat Hegioni νῆ τὰν Πραίνεσιν,
 quamuis illud τὴν, seu τὰν ad πόλιν referat Cluue-
 rius. ab eo Prænestini dicuntur oppidani, teste Var-
 rone. Græcis σοι: præsertim Stephano, seu Her-
 molao. quin & Πραίνεσσοι Appiano, & Πραίνεσσοί
 vt in Dionysio scribitur corrupte, sicuti quidam vo-
 lunt, exscriptum posterioris æui vitio. Sed in has
 Grammaticorum tricas declinare non est animus. In-
 ter famosa oppida ad occidentalem Oceanum me-
 morat Aethicus, qui Theodosij æui vixisse videtur, *Pe-
 netre*: vbi Simlerus notat ita suo in exemplari legi;
 cum alia manu adnotetur, *Penestre*, *Preneste*. Proco-
 pius vocat passim Πενεστίνην portam. Anno a Christo
 nato DCCXLIII. Synodo primæ Romanæ sub Zacharia
 Papa habitæ subscripsit Venantius Episcopus Penetri;
 qui apud Binium Venantius, seu Valentius Episcopus
 Prænestinus dicitur, secundæ quoque anno DCCXLV.
 coactæ interfuit suprascriptus Præsul Præneste, seu Pe-
 nestræ,

Lib. 7. & 8. Æn.

Lib. 17.

Salmaf. in Solin.
pag. 63.Plutarc. Appian.
Strabon. Dionys.
Stephani Breuia-
tori.

Lib. 4. de L. L.

L. 1. Bel. Ciu.

Lib. 5.

In Gothic.

Cassineñ MS.

Tom. 3. Concil.

nestræ, seu S. Ecclesiæ Prænestinæ. Et mendosi sunt codices Oecumenici concilij septimi, vbi Ioannes *ἐπίσκοπος Πρενέστε* pro *Πραινέστε* refertur an. DCCLXXXVII, sicut & Synodi Romanæ sub Martino PP. an. DCXLII. vbi *Μαίρεινος ἐπίσκοπος Πρενέστης* recensetur, pro *Πρενέστε* etiam, nisi forte *Πρενέση* quoque dicta fuerit, & in Plauto *πόλις* non subintelligatur, & inde *Πρενεστήνος* recte producat. Inter monumenta Tiburtina in diplomate Benedicti IV. vel VII. vt iustius putauit, dato XI I. Kal. Ianuar. anno Pontificatus primo, non septimo. (recte namque incurrit in secundam Indictionem, & annum septimum imperij Ottonis Secundi, a CHRISTO nato CMLXXV. huius Pontificis annus natalis, seu primus) silex magna de Penestrina, & Sancta Penestrinen. Ecclesia nuncupantur. Omitto tabulas complures, quas ex Archiuis promptas proferam conscriptas decimo atque vndecimo seculis. sub calce quidem Seculi XIII, & toto XIV, Penestrinus Episcopus, & Penestre vulgo appellabatur in Bullis Pontificijs, & chartulis. hodie passim Palestrina, & Pelestrina nominatur, quia & Pilestrina. Eam quondam Stephanen dictam Plinius tradit, qui corrigendus magni nominis Grammatico videtur, legendumque: *Vrbe quondam Polystephano dicta*. Sed Strabo *Πραινεσόν πολυστέφανον καλεῖσθαι* *ωρότερον* scribit, vnde Stephani epitomastæ detegitur error, qui Tiburi adscribit hoc nomen. certe Strabo ex illo urbem *ἐλληνίδα*, siue Græcæ originis esse euincit. *πολυστέφανος* autem munitam designabat urbem, quæ muris, seu murorum coronis cincta esset firmissimis. vt Dionysio Afro *Κρότων δ' στέφανος*: Pindaro, *Γλῶκ μέλλοντες ἐπὶ στέφανον τεύξαι*: Anacreonti. *ἴν' ἴδ' ἀπὸ μὲν πόλεος στέφανος ὄλωλεν*. forte ita dicta vrbs Præneste quasi multis coronis digna, vel a copia coronarū: vel a rusticis, quos ornatos coronis Telegonus reperit.

Action. 7.

Leand. Albert.
Ital. Descript.

Lib. 3. c. 5.

Lib. 5.

Phil. Ferrar.
Topograph.
Martyr.Beroald. in c. 72.
Suet. Aug. & in
Eleg. 3. l. 2. Pro-
peff.

B

De